



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 361. Usque Ad Annum 395

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 90117786**

§. 26. Massaliani damnantur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66032)

## §. XXVI.

Sæculum IV.  
A. C. 391.*Massaliani damnantur.*

Flavianus Episcopus Antiochenus, con-  
 pecto, quod Massalianæ Sectæ homi-  
 nes Edessæ morarentur, & venenum per  
 viciniam spargerent, illuc Monachorum  
 turbam misit, qui hos hæreticos Antio-  
 chiam adduxerunt; at hæresin suam per-  
 tinaciter negantes, convicit hac ratione;  
 dixit, eorum delatores calumniatores es-  
 se, testes vero mendaces; tum Adelp-  
 phium, leniter compellatum, virum se-  
 nio gravem, penes se considerare rogat, &  
 sic alloquitur: *Nobis qui provec̃ta ætate  
 sumus, natura hominis magis perspecta,  
 & Demonum artes sunt; experientia di-  
 dicimus gratiæ indolem. Juvenes isti,  
 qui nunquam ad hæc omnia animum ad-  
 verterunt, sermones spirituales non ca-  
 piunt. Ergo edic mibi, quomodo hoc ex-  
 plices, quod Spiritus malignus ex homine  
 exeat, & Spiritus Sanctus se communit?*  
 Adelpsius, his blanditiis captus ait, nul-  
 lam in baptismo esse utilitatem, solam  
 orationem Dæmonem familiarem posse  
 expellere, qui singulis hominibus, nascenti-  
 bus, cum natura primi Parentis adve-  
 niret; hoc Dæmone per orationem ab-  
 acto, adesse Spiritum Sanctum, suamque  
 præsentiam sensibilibus, & visibilibus ma-  
 nifestare, dum corpus ab omni affectuum  
 motu,



Sæculum IV. motu, & animam a propensione ad ma-  
A. C. 391. lum liberaret, ita ut homini jam nullo  
 jejunio opus esset ad conterendum cor-  
 pus, nec doctrina ad dirigendum intel-  
 lectum. Hominem, in hoc statu positum,  
 clare futura prævidere, & S. Trinitatem  
 suis oculis contemplari. Tunc vero Fla-  
 vianus ad Adelphium illa Scripturæ ver-  
*Dan. 13. 52. ba: Inveterate dierum malorum! ore tuo*  
 61. *convictus es!*

Flavianus deinde cum tribus Episco-  
*Phot. Cod. 52* pis, quos aliis e causis Antiochiæ fuisse  
 præsentibus credibile est, atque triginta  
 omnino Presbyteris, & Diaconis Conci-  
 lium egit; tres Episcopi fuere Byzus  
 Seleuciensis, Maruthas Sopharenensis in  
 Mesopotamiæ finibus, & Samus, cujus  
 Sedes ignoratur. Quamvis Adelphius  
 animam pœnitentem ostenderet, & hæ-  
*Massaliani.* resi renuntiare videretur; nihilominus  
 cum Sectatoribus suis a Concilio damna-  
 tus est, atque postea apparuit, quam pa-  
 rum sincera eorum renuntiatio fuisset,  
 quippe convicti sunt, quod per Epistolas  
 cum illis communicarent, quos ipsi tan-  
 quam Massalianos condemnaverant, &  
 ea hæresi infectos sciebant. Flavianus  
 Epistolam dedit ad Fideles Provinciæ  
 Osroenes, in qua erat Edessa; in ea, quid  
 actum fuerit, edocet, dicitque, hæreti-  
 cos devictos fuisse, & anathematizatos.  
 Episcopi Osroenes gratias Flaviano ege-  
 runt,



runt, & facta laudarunt. Attamen Syria omnibus istis hæreticis tunc non est expurgata. Sæculum IV.  
A. C. 391.

Qui inde ejecti sunt, in Pamphyliam migrarunt. At S. Amphilochus Episcopus Iconiensis in Lycaonia, Pamphyliæ contermina, Concilio Sidam, Pamphyliæ Metropolim, ubi viginti quinque Episcopi cum ipso comparuerunt, convocato, Provinciam ab hac peste liberavit. Ad S. Flavianum Antiochenum Epistolam Synodalem dederunt, ut, quid ipsi egissent, sciret. In acta hujus Concilii S. Amphilochus propria hæreticorum verba inferi jusserat, ex quibus clarissime Doctrinæ eorum pravitas dispicitur. Leitoius Episcopus Melitenensis in Armenia ad S. Flavianum scripsit, quærens, quid de Massalianis sentiendum? eosque in Concilio damnatos comperit; hinc Leitoius, zelo animatus, cum plura Monasteria, hoc errore corrupta, sciret, expulsis hæreticis, eorum domos incendit. At opem impiis tulit alius Armeniæ Episcopus, apud quem S. Flavianus, datis literis, conquestus est. Phot. ibid.  
Theod. IV.  
hist. c. 11.

## §. XXVII.

*Schisma Antiochenum. Concilium  
Capuanum.*

Necdum Schismatis Antiocheni finis. *Socr. V. c. 15*  
Pau-